

multo sanguine. Si autem fuerit ibi in proprio domicilio, uel exaltatione, facit bonos Medicos, & dat nato seruitores armigeros.

Sol significat ægritudinem cordis & membrorum principalium, tribulacionem per seruos & ignobiles, dat multas infirmitates, & fastidium propter seruos, ipse tamen benefaciet suis seruis.

Venus significat paucitatem ægritudinum, coitus impotentiam ex defectu de bilitatis renum, tribulationem per seruos & ancillas, & matres, tamen impetrabit quod uult ab illis, habebit rem cum famulabus domus. Et si fuerit mulier, habebit rem cum suo seruitore. Erit idem natus homosanctus. In mulieris genitura, significat eam laboraturam in partu cum magno uitæ periculo. Et si fuerit in domicilio proprio aut in sua exaltatione, erit natus fortis & robustus, & quasi nunquam infirmus, habebit fideles seruitores, & ipse benefaciet illis, habebitq; utilitatem de animalibus quadrupedibus minoribus.

Mercurius significat cogitationes impeditas, & malam memoriam, & alienatos sensus, immutationem intellectus, obtrestationem, deceptionem, per mulieres & luxuriam. Si ibi infortunatus fuerit, facit hominem male loquentem, deceptorem, deditum luxuriæ, & ipse etiam erit deceptus à mulieribus, seruis & ancillis. Et si fuerit cum Marte, uel Surno, uel cum ambobus, periculum erit, ne occidatur à seruis, aut à famulabus, aut ueneno tollatur, aut moriatur in carcere. Vel erit malæ loquelæ. Si in sexta fuerit Mercurius, erit quasi insipiens, uel conuertetur à fide sua in aliam. Et si ibi fuerit impeditus, morietur in carcere.

Luna significat multitudinem ægritudinum, & defectum cerebri, rixam à parentibus, lucrum ex quadrupedibus, dat rixas & contentiones cum consanguineis, & inimicitias cum muliere, & negotia cum gente uili plus quam cum nobili. Si Luna fuerit fortunata, erit sanus, & si fuerit infortunata, erit quasi semper infirmus.

Caput liberat natum de infirmitatibus, dat multos seruos fortunatos.

Cauda dat multas infirmitates, seruos pigros & infirmos, erit infortunatus in animalibus minoribus, & in seruis, qui erunt male voluntatis in dominum, uel natus habebit incommodum ratione seruorum.

De septima domo,

ATVRNVS in septima extra domicilium uel exaltationem suam, significat malam & prauam uxorem, & natus abhorrebit ab ea, significat etiam destructionem uxoris, & effectum malum in fine, nam malam minatur mortem, & videbit ruinam inimicorum suorum. Si fuerit in signo aquæ, patietur Hemoroides, aut fistulam in pudendis. Si fuerit in domicilio uel exaltatione sua, dat potentes inimicos, & mulierem diuitem.

Jupiter significat uxorem probam, honestam, uiuentem in timore Dei, ac legitimum matrimonium, significat etiam gaudium à mulieribus, & uictoriam super omnes inimicos, uxorem pulchram, diuitem, senectus eius erit honorata.

Mars in septima, significat quod natus erit homicida, mulieres eius morientur. Si fuerit in domicilio suo, dat potentes inimicos, & uxorem bestialem. Si nativitas fuerit mulieris, decernit ei maritum bestialem, hominem litigiosum, qui se inquinabit omni coitu, dat damnum in omnire, & malum finem, ac forte abscedentur ei manus, & pedes.

Si in septima fuerit Sol, natus acquiret uxorem magistrorum, & potentum, significat etiam contrarietatem à potentibus, & diuinitibus, erit in senio multum honos